

**www.e-rara.ch**

## **Historia animalium**

Conradi Gesneri medici Tigurini historiae animalium lib. I. de quadrupedibus viviparis - opus philosophis, medicis, grammaticis, philologis, poëtis & omnibus rerum linguarumque variarum studiosis, utilissimum simul iucundissimumque futurum. ...

**Gessner, Conrad**

**Tiguri, anno 1551**

### **Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: NNN 41 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1927>

De feris illis quae lupo congenere sunt, et primum de thoe, panthere, lupo canario, lycaone, & c.

---

#### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

qui utuntur, seipfos quoque in perniciem adducunt, reuera saltationem illam circum puteum saltantes. Refertur adagium à Zenodoto, Suida, Diogeniano, Erasmus. Hesy chius interpretatur, ἐπὶ τῷ πονόντων περὶ τῷ ματαίω; sed melius apud Suidam legitur ἐπὶ τῷ πονόντων περὶ τῷ μάτην. Sic Germani de fele frustra circumueunte edulium feruidum quod non ausit attingere, *Er geht darumbher wie ein Katz umb einen heissen brey.* ¶ Suade lupis ut insaniant, Theocritus in Aegl. cui titulus Νομῆς, Πείσαι μίλων καὶ τῶς λύκος αὐτίκα λυσῆν, Hoc quoque Milo lupis mox persuadeto rabire. Vbi quis animus inducit ad rem stultissimam, quam non aggredetur nisi insanus. Nam lupi insaniant uel sua sponte, ueluti si quis tyrānum instiget ad crudelitatem, cum plus satis sauiat suo pte ingenio. Rabies propria canum est, unde Scholiastes Theocriti putat hoc uelut absurdū proponi. Sed canes aliquando rabiunt, lupi nunquam nō rabiunt, Erasmus. ¶ A fronte præcipitium, à tergo lupi, ἔμπροσθεν κρημνός, ὀπισθεν λύκοι, (si quid addas, ut ἔστι γὰρ, erit pentameter elegiacus:) Quum aliquis hinc atque hinc duobus maximis premitur malis, ut in utroque incidit, pereundum sit, Erasmus. A lupi uenatur, Ἀπὸ λύκος θήρας: dici solitum, ubi quis protinus re infecta discedit, aut de negotio molesto & agresti. Neque enim tutum est lupum insequi, neque is facile capitur, quum reliquarum ferarum uenatus non uulgarem adferant uoluptatem. Meminit Suidas, Erasmus. Suidæ uerba sunt, ἐπὶ τῷ ἀπράκτως θυβὸς ἀπόντων, αἱ δὲ ἐπὶ τῷ ἀπηνῶν καὶ ἀγέλω, hoc est, Aliqui de hominibus agrestibus & crudelibus interpretantur, non ut Erasmus uertit, de negotio molesto & agresti.

¶ Peculiaría Germanis à lupo prouerbia. *Ser hunger treibt den wolf auß dem busche.* Quo sensu Latinorum illud est, Viro esurienti necesse furari. *Wer bei den wölfen ist/ der muß mit jnen heülen:* Insanire cum insanientibus, Lex & regio. *Er bessert sich wie ein junger wolff:* Imi tatur nepam, Primum Mars in filiis laudatus est. *Es muß ein junger wolff sein/ der nie kein gerücht oder geschrey gebört hat:* Complurium thriorum ego strepitum audiui. *Wolffzahn im mund haben,* hoc est, dentes lupinos habere; mulieres ferè de uiris dicunt, quos duriores uel iracundos esse insinuant.

¶ Sunt & in Sacris literis nostris à lupis tanquam prouerbia. Pseudopropheta uestitu ouium, intrinsecus lupi rapaces, Matthæi 7. Intrabunt post discessum meum lupi, Actorum 20. Emitto uos sicut oues in medio luporum, Matthæi 10. Mitto uos sicut agnos inter lupos, Lucae 10. Videt lupum uenientem, & relictis ouibus fugit: & lupus rapit ac dispergit oues, Ioan. 10. Principes in medio eius quasi lupi captantes prædam, Ezechiel 22. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto, Ecclesiastici 13. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, Esaiæ 11. Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas, Esaiæ 65. Huiusmodi est illud Theocriti Idyllio 31. Ἔσαι δὲ τὸ τῷ ἡμᾶρ, ὁ πηνίκα νεβροῦ ἐν θυβῶ. Καρχηρόδωμ σίνεδααι ἰδὼν λύκος ἐκ ἔβη λίσσῃ. ¶ Stobæus in sermone de adulatione hoc Socratis dictum recitat, Lupi cum sint canibus similes, assentatores amicis, diuersa tamen studia sequuntur. Et aliud Epicleti in sermone de temperantia, huiusmodi: Veluti lupus animal est cani simile: ita & adulator, & adulter, & parasitus amico similis est. Animum igitur aduerte, ne canum custodum uice perniciosos lupos nescius admittas. Τῆνον (Daphnidem mortuum) μάρι θῶες, πῆνον λύκοι ὠρύσαντο, Theocritus Idyl. primo. Emblema Alciati de capra lupum lactante, uide in Capra h. & hic paulò superius in prouerbio, Ale luporum catulos, Græcè positum.

## DE FERIS ILLIS QVAE LVPO CONGENERES

SVNT. ET PRIMVM DE THOE, PANTHERE,  
Lupo canario, Lycaone, &c.

A.

**T**H O E S duorum sunt generum, sicut etiam pantheres (Est & pardalis siue panthera duplex Oppiano, maior & minor. sed quia minores uiribus & animo maiore nihil inferioribus esse scribit, apparet illos alios esse quam πάνθηρας ab eo alibi dictos) magnitudine differentes. Videtur autem thos minor, panther minor, lycopātheros, & lupus canarius, idem omnino animal esse. Thoes luporum generis sunt, Plinius. θῶς, θῶος, Suidas. Reperitur etiam prima per omicron in plurali numero, in Lexicis, quod non probo: quamuis etiam apud Arrianum in libro de rebus Indicis ita scribitur. Thos, bestia lupo similis, Hesy chius. Et rursus, θῶων, fera ut lupus: non quod θῶων nominandi casu proferat. solent enim illi Lexicorum scriptores uocabula eodem casu quo apud authores, præsertim poetas reperiunt, in Lexica referre. legitur autem θῶων apud Homerum Iliados v. Hebraicum uel Arabicum thois nomen nullum habeo. Quanquam apud Albertum legitur, Est quoddam genus lupi, quod chabez uocat Aristoteles, Auicenna autem beruet (Persica nimirum lingua) uocari scribit. Quæ uerba Alberti sunt in historiam animalium Aristotelis 9. 44. eodem loco, ubi de thoe Aristoteles agit, & iisdem uerbis. Et rursus alibi, ubi Aristoteles leonem & thõem inimicos esse scribit: Albertus reddit, Lupus pugnat cum animali quod toboz (tohos forte, corrupto nomine à thos: & rursus à tohoz uel toboz, chabez scripsisse uidentur librarij,

aut

aut ipse Albert. ) hoc autē quidam æstimant esse lyncem. Thos, Hebraicè forsan tahas *תהא*, ut in Mele dicam. ALSHALI, est animal simile lupo, And, Bellunen. ADEDITACH genus quoddam lupi, Syluat. Sed hæc nomina ad thõem ne an aliud lupi genus pertineat, incertus sum. Post hyænam quoque supra congeneres tum eorum tum lupo feras recensui. Solin. ca. 33. thôas lupos Aethiopicos uocat; cum paulò ante LYCAONEM quoque Aethiopicum esse lupum dixisset, ceruice iubatū, & tot modis uarium, ut nullum illi colorem dicant abesse. Mutat colores Scytharū tarandus, nec aliud ex ijs quæ pilo uestiuntur, nisi in Indis lycaon, cui iubata traditur ceruix, Plin. nec plura de lycaone usquam reperio. Est & hyæna lupo congener & iubata. Lycaones canes in Canibus diuersis dicti sunt: & Lycaon uiri, furorisque nomen, supra in Lupo H. a. Thôes optimi qui minores sunt: 10 genera huius alij duo alij tria statuunt; plura ijs esse non uidentur, sed ut piscium, aut quadrupedū genera aliqua, ita thôes quoque per tempora immutantur; & colorem diuersum hyeme æstatē ue trahunt, atque æstate nudi (*λεῖοι*) hyeme hirti redduntur, Aristot. 9. 44. interprete Gaza, sed parū apte; nec enim uertendum erat, plura ijs (duobus aut tribus) esse non uidentur; sed simpliciter, non uideri plura esse thõem genera, sed unum duntaxat, quod & sequentia probant. Nearchus author est illas quæ uulgò tigrides uocant, nō ueras esse tigrides, sed *θῶας ἀόλας καὶ μέζονας ἢ πρὸς αὐτὰς ἄλλας θῶας*: hoc est, thôas uarios (quasi nō omnis thos uarius sit) & maiores quæ ceteri thôes, Arrian. in li. de reb. Ind. Lupum ceruarium Grapaldus eundē thoi & chao esse suspicatur. Miror (inquit Hermol. in Plin. 8. 19.) qui thôas in Aristotele pro ceruarijs lupis cepere. Cum ceruarij lupi uideantur esse ij, quos chaos uocamus, non thôas. Sunt quidem & thôes lupi, ut Plinius testatur hoc lib. ca. 34. sed quos Solinus in Aethiopia, non Gallia nasci tradat. Errorem hunc, si error est, Oppianus poeta uidetur intuisse, qui thôas *θηγνῆς*, hoc est bigenas, panthera matre, lupo patre gigni cecinerit, effigie capitis lupi ni, (*μητὸς μὲν θηνόισι, πατὸς δὲ αὐθηνόισι*, pelle matrem referunt, facie patrem; sed prosopon, id est facies hic forte pro totius corporis forma accipitur) pardorū maculis; quod ipsum ferè Plinius chao suo, id est ceruario lupo, tribuit hoc loco. Nominat & Theocritus, & Quintus poeta, & Iulius Pollux, thôa lupum uulpi similem uoce. Homerus quoque, sed quale sit animal non exprimit, præterque quod non magnopere generosum facit, proptereaque ceruario lupo maxime dissimile. Hæc Hermol. à cuius sententia nec ipse absum. Scio enim lupū ceruarium esse feram illam quam plerique lyncem appellant hodie, nostri *luchs* & *thierwolff*; Itali, Rhæti qui Italicè loquuntur, & Sabaudi, etiamnū ceruarium uocant. Hæc et si lupis tum ingenio tum quadantenus forma similis est, & insuper maculosa, à thõe tamen diuersa uidetur: nam Plinius Græcum nomen thois semper relinquit, ubi ex Aristotele transfert: & de lupo ceruario semper tanquam diuersa animante seorsim agit. Sed de lupo ceruario quæcunque priuatim scripta reperi, inferius proponam in Lynce. Albert. lib. 22. lyncei plerique attribuit, quæ ueteres thoi. Niphus ubi Aristotelis de hist. anim. li. 6. ca. 35. interpretatur, *πανθηρ* (inquit) à uetere interprete panthera uertitur: sed Theodorus pardalin uertit pantheram, *πανθηρ* uero lupum canarium. Sed quid sit lupo canarius non satis constat. Nonnulli autoritate Pollucis lupum canarium esse asserunt eum, qui uulpi uoce similis est, qui etiam cum leonibus congregitur: hunc cæcos parere foetus narrant, & cum plurimum quatuor (sed hunc non aliū quam thõem esse apparet.) Alij canarium lupum esse putant eum, qui initu canis ex lupa nascitur: non desunt qui dicant lupū can. esse genus quoddam lupi, quod longū pilisque asperis est. Et paulò post, Animaduerte Theodorū ceruarios lupos à Græcis dici thôas arbitrari, Pollucē uero asserere thõem lupum esse canarium, (ego nihil tale apud Pollucem reperio.) Lupi ceruarij (uidetur authoris nomen desiderari) duas species fatetur, alterā quæ chaos dicitur; alteram uero quæ lynx, quæ pelle uaria uisu acutissimo præstat. Et rursus in lib. 9. ca. 44. Constat, inquit, thõem, alterum de duobus esse, aut lupum ceruarium, aut genus id lupi quod Græci pantherem uulgò appellant. Arabes lupum Armeniū, Thurci cicalum: uile hoc genus animalis est, magnitudine minus lupo, & cetera longè degeneras. Hoc genus lupi poetæ, Theocritus, Homerus, Quintus (Oppiano excepto) significare uidentur, cū thõem nominant. Et Pollux planè ita uelle uidetur, ut thos genus sit lupi illud uile, panther autem ceruarius sit; constituit enim pantherem cū panthera seu pardali: thõem uero cum lupo & uulpe. Plinius etiam hoc idem lupi genus intelligit sine dubio, cum dicit thõem esse genus lupi; nam si ceruarium intellexisset, declarasset: quandoquidē ceruariū & nouerat & nominauerat, & de eius obliuione scripserat. Quod autē ea tribuit ei generi, quæ Aristoteles thoi, uidelicet pugnare cū leone et canibus, & cane esse celeriore, mirari de tanta eius inconsideratione debemus, &c. Meminit pantheris Herodot. & Galen. sed non ita ut genus animalis apertū sit. Quamquam Galenus significare uidetur genus illud lupi ignobile potius quæ ceruariū: scribit enim esse nonnullos homines ita belluinos, ut edant carnes leonū, & pardalon, id est pantherarū; alios uero esse qui edant carnes canum, & pantherum et uulpium. Et iterum, Genus illud quod Arabes uulgò lupum Armeniū appellare dixi, Italia non habet; & simul & re & nomine carent Itali. Quamobrem fuit necesse aut Græco uerbo pantherem dicere, aut lupum Armeniū cum Arabibus, aut cicalū cum Thureis, aut nouum imponere quod placuit: itaque canarium dixi lupū (hoc prius fecerat Gaza) à canis similitudine, Hucusque Niph. 60 *οδόν, πανθηρ*, Scholia in 10. Iliad. Et rursus in 13. *ὄων, πανθηρ*. Est autem pantherion, uox deminuta à panthere, hoc est paruus panther; quamobrem ipse etiam thõem dico paruum esse pantherē, quamuis apud Latinos de paruo panthere nemo meminert. Rectè tamen sic appellabimus, distin-



amicum, ac *Φλανθροπότατον*: & si forte in hominem inciderit, reuereri, (*ἀεχμῆαδ*, Philes,) ac uelut obseruanter suspicere. Amplius, si à feris alijs circumuentum senserit, tum uero accurrere protinus, optulari<sup>q</sup> pro uiribus, Cæl. ex Aeliano mutuatus. Etymologus uerbū *θωπδίδμ*, quod adulari et blandiri significat, à fraudulentū animantis, quod *θωψ* appelletur, natura factū putat. Thôes pugnant cum canibus & leonibus: quo fit ne eodem in loco sint thôes & leones, Ariff. Et rursus, Leo & thos inimici sunt: cum enim carne alantur, uictū ex eis dē petant necesse est. Dissident thôes & leones, Plin. (Aliqui non rectē ex Plinio citant lupum ceruariū cum leone pugnare.) Thôes, cōmissos (clarissima fama) leones Et subiēre astū, et paruis domuēre lacertis, Grat. Vide supra in Cap. de canib. mixtis et bigeneris. Thôes collecti (inquit Oppian, lib. 2. de piscib.) ceruum inuadunt, & morsibus quantum  
 10 possunt carnis lanando rapiunt, ac sanguinem lambunt: fugit ille cruētus aliās ad alia montiū iuga: non deserunt tamē eum thôes, sed subinde infestant, & per interualla tandē cōsumunt. Apparet autē mutuatum hæc Oppianum ex Homeri Iliad. II. quem locum recitauī in Ceruo H. c.

H.

*Θωδ* dici uidentur à *θέω* uel *θός*, nempe à celeritate, Varin. quamuis Arrianus & grammatici quidam primā per omicron scribant in obliquis, poetæ tamen (Homerus, Oppian, Theocrit. Grat.) semper producunt. *ὦ λύνει, ὦ θωδ, ὦ αὐ ἄρεα φωλάδ δὲ ἀρκτοι*, Theocrit. Idyl. I. Hoc etiam obseruauimus, thôas ferē semper unā cum lupis à poetis nominari, ita nimirum congeneres insinuantibus. ¶ Epitheta. *λαφοῖνοι* apud Homer. II. κ. Scholiastes interpretatur *φονίης ἢ πυρρός*: hoc est, cædis & sanguinis auidos, uel rufos colore. *Ἀναδιδόν, ὠμῆσαι, ἴωδρ Θιάλοι*, Oppian. Ex lupo & pardali nascuntur *λεατόρο*  
 20 *χρα φύλα* *Θωδ*, Idem: dixit autem fortassis *λεατόροχρα*, quod pardalis matris colorem & maculas retineant: uel corpore ualida: quoniam *χράα* & colorē & corpus poetæ nominant: nisi quis malit *λεατόρωνυχα*, quod epitheton etsi eis conueniat, nihil tamen temere mutandū. *Θωίσειμ, ὑλακτέμ, βοῶμ, μέλπειμ, συνίλειμ, θειάδ εἰ φωνή χηῖδα, κερύσσμ, θειωδῶς ὄρμαμ*, Hefych. & Varin. *Θωτα, θυνάται* (malim *θονάται*, sic etiam *Θωδα, θονάδ*, non *δωάδ* apud Hefych. legerim): *τρήχρ, Θωδ, ἢ θωάδ*, Doricē idem quod *δωχεῖσαι* epulari, à uerbo *θῶ*, Idem. Ab horum sanē uerborū aliquo thôis nomen factum aliquis conieceroit, uel à uoce, uel à uoracitate, uel à uelocitate: aut certē contrā, ipsa hæc uerba ab animalif facta. *ὠρνεαδ*, ululare, de thoibus dicitur, ut de alijs quoq; minoribus feris, lupis, uulpibus, Pollux. Varinus quidē de leonibus etiam usurpari scribit. *τῆνον* (Daphnidem mortuum) *μαὶν θῶες, τῆνον λύνει ἀρύσαντο*, Theocritus Idyl. I. *ὄϊον ἔμ λύνει πινές, ἢ θῶδ ἐλάφου τὰ αἰεῖ τετυμμένα, καὶ πρὸς ὀλίγον τρεῖ πνεῖ μεμολυσμένα*, Heliodorus. *ὄϊ τὸ πάρο πόρ* (de Troianis) *φυζακινῆς ἐλάφοισιμ εἰσικεσαν, αἰ τε καὶ ὕλημ, Θῶων, παρδ αλίωμ τε, λύνωμ τ' ἢια πέλοντα*, Homerus Iliad. V.

¶ *Γαύθηρας χαροπές*, Oppian. ¶ *Γαύθηρ & Γαύθηρ*, nomina propria, Suidas: nec aliud.

DE LVPO CERVARIO,  
 LYNCE & CHAO.

Figura hæc lyncis est, siue lupi ceruarij, ut Itali uocant, qualem habere potuimus.



T 6